

dann auch fortzugehen. Er ging in den nahen Canton Zug, wo sich schon einige Conventualen zerstreut aufhielten, mietete alsbald ein geräumiges Haus ausser der Stadt Zug und sammelte da einige Mitbrüder um sich.“

Das Stift Muri zählte bei seiner Aufhebung ausser dem Prälaten 28 Priester und 8 Laienbrüder. Einige von ihnen sammelten sich, wie gesagt, um ihren Abt, andere blieben auf ihren bisherigen Seelsorgsposten in Muri, Wohlen, Bünzen und Boswil als Pfarrer und Pfarrhelfer; etliche begaben sich auf Veranstaltung des Abtes nach Engelberg oder Einsiedeln, andere fanden vorläufig an andern Orten oder bei ihren Verwandten eine Zufluchtsstätte. Obwohl so überallhin zerstreut blieb der Convent dennoch in geistiger Vereinigung. Alle standen mit dem Abte in regem Verkehr, besuchten ihn häufig in seinem kleinen Communalsitze in Zug und später in Sarnen, unterstützten ihn pro communitate mit den erübrigten Pensionsgeldern, wogegen er gegenseitig Benöthigten aushalf. Es war eine Art von ecclesia dispersa. „Utinam,“ — schrieb damals Abt Adalbert an den Nuntius, nachdem er sich bei St. Carl in Zug niedergelassen hatte, — „requiem hic et pacem inveniamus, donec ut columba Noë in arcam Murensem revolare concedatur, quod totis animis ardentissimisque desideriis a D. O. M. efflagitamus.“

(Schluss folgt im nächsten Hefte.)

## P. Oliverius Legipontius O. S. B.

Vitae curriculum praeclari huius ad s. Martinum Coloniae coenobitae, qui „Historiam rei literariae O. S. B.“ publici iuris fecit, ex fontibus primi ordinis descripsit

P. Maurus Kinter.



Oliverius Legipont in vico Soyron vocato et in ducatu Limburgensi dioecesis Leodiensis sito IV Non. Dec. 1698. natus est parentibus Oliverio Legipont et Apollonia Remacle, honestiore genere claris et re familiari bonisque allodialibus ad congruam suorum sustentationem abunde instructis. Verviae sub Franciscanorum disciplina humanioribus literis, philosophiae in florentissimo Montanorum gymnasio

Coloniae Agrippinae, quam ad capessendas altiores scientias ao. 1717 petiit, operam dedit. De eligendo statu sollicitus, quum XV orationes S. Birgittae per unum annum recitare sibi proposuisset, voto vix expleto adstitit quidam ex condiscipulis, Pontinus nomine, insinuans, ut abbati S. Martini in Urbe inter Benedictinos recipiendum se sisteret, qua de re Oliverius antea ne somniaverat quidem. His rite ponderatis intrepidus coenobii valvas pulsavit ac post ternam petitionem XIV Febr. 1719 ad tirocinium admissus XIX Mart. anni insequentis solemnem votorum professionem emisit. Deinde studiis theologicis admotus plus ex privata lectione quam magistri instructione profecit. Die XXII Maii 1723 presbyter ordinatus mox bibliothecae praefectus est, quam in ordinem rededit novoque catalogo instruxit. Qua occasione inter doctores mortuos frequentius versatus primum Ludovici Eliae du Pin commentarios de scriptoribus ecclesiasticis diligentius evolvit insignemque animadversionum farraginem sibi ex illis compilavit; post epitomen historicam Concilii Tridentini gallico sermone contextuit nec non aliud opus eiusdem fere comatis ex antiquis ecclesiae scriptoribus. Anno 1726 professor philosophiae nominatus et XIII Kal. Febr. 1728 in s. s. theologiae licentiatum Coloniae solempni ritu inauguratus est. Cursu philosophico absoluto biennii labores in compendium contraxit illudque titulo: „Sapientiae studium Benedictino-philosophicum“ inscriptum prelo submitit. Opusculum illud, utut insons, adeo revv. patrum societatis Iesu animos torserat, ut eius inhibitionem coram vicario generali urgerent, quod cum non impetrassent, factus postea sudis in oculis eorum.

Anno 1728 die IX Oct. Prior sui monasterii constitutus, ne misis severioribus valedicere videretur, ius canonicum nova methodo concinnatum suis concellit praeligit et contracta cum Bernardo Pezio Mellicensi consuetudine literaria totus deinceps in iuvandis eius studiis fuit; archivum quoque congregationis Bursfeldensis lustravit, chronicon sui monasterii ex veteribus monumentis compilavit eiusdemque fastos carmine heroico conscripsit. Tribus annis post a prioratu absolutus Moguntiam ad S. Iacobum pro tradenda theologia dogmatica expetitus est; cursum emensus Spanheimium et tandem in Austriam profectus est, ubi Gottvicii apud Godofredum Besselium, abbatem illustrissimum, munus bibliothecarii aliquamdiu obivit, nihil, dum illo fungebatur, antiquius habens quam ut animum discendi cupidissimum exquisitis musarum epulis abunde illic repertis ad satietatem

saginet. Mortuo interea Bernardo Pezio, fautore humanissimo, cum Magnoaldo Ziegelbauer societatem iniiit, qui novum condendae suo genio historiae literariae O. S. B. conspectum tum temporis adornabat Oliveriumque ad partiendos labores invitabat. Anno 1735 ex Austria Moguntiam indeque Spanheimium ad recuperandam abbatiam S. Disibodi (olim Benedictinam, post Cisterciensem) se recepit, qua obtenta loci historiam conscripsit, chronicon Spanheimense ab anno 1500 usque ad suam aetatem continuavit, brevem quoque notitiam monasteriorum O. S. B. in Palatinatu olim florentium, post vero in usus promiscuos conversorum concinnavit. Anno 1737 „discursum paraeneticum ad aequos bonarum artium aestimatores pro bibliotheca publica et societate eruditorum Moguntiae erigenda“ evulgavit. Accesserunt anno proximo alia quaedam opuscula, numero XIII, quorum aliqua, cum ad manus Augustini Calmet pervenirent, virum inclytum Oliverio amicissimum reddidere.

Coloniam a. 1739 reversus praeconceptae bibliographiae Benedictinae ad umbilicum deducendae manus assiduas et studia in otio dare statuit; sed ad subprioris primum moxque ad oeconomii ministerium a visitatore monasterii, turbata rerum conditione laborantis, admotus molestiis multis iactabatur. Scripsit tamen varia, ut: de ara Ubiorum dissertationem, Ioannis Eberhardi Rav animadversionibus oppositam; de origine metropoleos Coloniensis; hierarchiam quoque et selectum actorum ecclesiae Coloniensis adornavit.

Anno 1744 Pragam ad collegium nobilium augustalibus reginae Hungariae et Bohemiae auspiciis illic erigendum <sup>1)</sup> ab abbate Břevnoviensi vocatus cum Anselmo Desing, Magnoaldo Ziegelbauer et Udalrico Weiss, viris ad illustre illud institutum provehendum studiose exquisitis, certatim collaboravit et in rebus agendis pars haud postrema fuit. Quippe sub initium mensis Iulii Vindobonam missus bibliothecae Kinskyanae, in usum novi collegii Pragam mittendae, catalogum confecit ac negotium sibi commissum cum Desingio qua licuit solertia promovit. At rege Borussiae Bohemiam tum rursus infestante in monasterium nostrum Raigradiense se recepit ibique cum P. Udalrico Weis diutius haesit, componendis quibusdam in usum illustri iuventutis tractatibus continuo intentus; quales fuere: tractatus de vera nobilitate generis et animi; introductio ad studium rei numma-

1) Cfr. Dudik Geschichte Raigers II. pg. 359.

riae, dissertationes philologico-bibliographicae de adornanda et ornanda bibliotheca, de archivo in ordinem redigendo, de veterum diplomatum criterio deque rei nummariae et musices studio, in quibus conficiendis loci praelatum, Mathaeum Stehlik de Czinkov et Freustett adiutorem expertus est; accessit libellus de emendatione philosophiae et per eam humani intellectus. <sup>1)</sup>

Pragam a. 1745 redux scrinia sua expilata reperit et manuscripta furto ablata; iacturam, quam aegerrime tulit, in literis ad Magn. Ziegelbauer datis mille aureis aestimavit. Paulo post iniquior consecuta est rerum vicissitudo, quum abbas ipse Břevnoviensis quorundam instigatione actus collegii suppressionem clam impetraret accitosque professores post tot difficultates et molestias superatas inanes dimitteret, Oliverio solo pro theologia dogmatica tradenda Břevnovii retento. Tempore illo utroque quasi cornu in conferendis Magnoaldo symbolis ad condendam bibliothecam Bohemicam, in quam ille Viennae magnis animis incumberebat, collaboravit; edidit etiam „Monasticon Moguntiacum“. Interim patres societatis Iesu collegium nobilium, quod ab augustissimae patronae nomine Theresianum nuncupari volebant, Viennae erigendum obtinuerunt, quo facto spes de Pragensi restituendo penitus decollata iacuit. Quare Oliverius Bohemiae valedixit et Raigradium ad tempus, inde autem cum R. D. Matthaeo, loci Praelato, Gottvicium, Cellas Marianas, Mellicum, Garstium et ad alia monasteria Austriae-Superioris propter bibliothecas lustrandas se contulit. In hoc itinere Trithemii operibus colligendis insudavit et seminario Heidelbergae condendo curas maximas intendit, quae variis causis obstantibus et abbatibus praeter opinionem ad subsidia tardis effectum optatum consecutae non sunt. Materias ad historiam literariam O. S. B. spectantes, quas tunc temporis congerebat, Ziegelbauero Olomucium diligentissime misit; ubi cum Francisco comiti Gianini et Iosepho lib. baroni Petrasch innotescerent multumque probarentur, Oliverius Magnoaldo cooperante ab illis invitatus est, ut Olomucium veniret seseque eorum societati adiungeret. Cessit precibus et syngrapha cambiali ad iter suscipiendum necessaria instructus veniaque abbatis obtenta Coloniam, ubi ob quasdam aemulorum vexationes inquietus erat, XIV Aug. 1749 reliquit et XI Sept. Olomucium feliciter attigit.

<sup>1)</sup> Cfr. Dudík II. 359.

Humanissime a comite salutatus non tantum grata hospitii pignora capessebat, sed et in „societatem incognitorum“<sup>1)</sup> receptus familiari virorum tum illustrium cum eruditorum necessitudine per quadrimestre potiebatur. Anno 1750 ineunte ab eodem comite in Silesiam deductus, comitum pupillorum de Wengersky curam et ephorium in se suscepit in eorumque gratiam et usum horis successivis in lyceo Rudensis monasterii (O. Cist.), quo cum comitibus digressus est, tractatum gallicum composuit, hoc titulo inscriptum: „Discours sur les sciences et les beaux arts, ou l'on enseigne la methode de les apprendre et de s'en

1) Olomucensis „Incognitorum Societas“ (die Gesellschaft der Unbekannte n), anno 1746 exeunte Olomucii constituta, literas et artes liberales per Germaniam meridionalem, imprimis autem per provincias Austriacas promovere voluit, disciplinis theologicis arctis limitibus circumscriptis. Ad hunc scopum excerpta vel summaria librorum divulgabantur, quorum primum Calendis Ianuarii 1747 publicam in lucem prodit. Primi, qui societatis huius fundamenta iecerant, Iosefus L. Baro de Petrasch praeses novi instituti, Franc. comes de Gianini, Franc. eques della Motte des Aulnois memorantur. Instituto perfecto plures fama doctrinaque celebres viri nomen dederunt, ex quibus eques de Baillou, Matthias Belius, Raim. Duellius, L. B. de Engelhard, Gori, Gottsched, Köhler, P. Lewald S. I., L. B. de S. Genois d'Anneaucourt, D. Sandern, Erasm. Fröhlich S. I., Marq. Herrgott O. S. B., de Kannegiesser, Marinoni, Hieronymus Petz O. S. B., de Rosenthal, D. van Swieten, Ziegelbauer O. S. B. etc. nobis innotuerunt. Praeses Petrasch per singulas hebdomades in domo sua conventus doctos habere coepit, qui ab augustissima imperatrice Maria Theresia non solum laudati verum etiam probati et edicto sanciti sunt necessaria ope simul promissa. Praeterea ephemeris a societate edita eo privilegio caesareo donata est, ut iterata tractatum impressio in terris Bohemiae finitimis interdiceretur. Sed duo tantum tomi a. 1747 Olomucii in lucem prodierunt; quatuor fasciculis tomi III. Francofurti et Lipsiae editis ephemeris finem habuit — res propter id summopere dolenda, quod illa prima literaria ephemeris Austriaca exstitit, Gallica („Journal des savans,“ 1663), Anglica („Philosophical Transactions“), Germanica („Erbauliche Monatsunterredungen,“ — vel potius ab anno 1682. Menkii: „acta eruditorum“ etc.) continuo florentibus. Doctae illi societati decretis caesareis ddo. 21. Febr. et 7. Nov. 1750 censura librorum Olomucii commissa fuit; quo vero officio paucis annis post ex invidia et malignitate aliorum absoluta est. Post obitum Ziegelbaueri, laboriosi societatis secretarii, Legipontius aliquantulum munus hoc obivit, praeses vero mox ipse abdicavit et societas brevi sic dispersa est, ut ne unus quidem sociorum Olomucii moraretur. Anno demum 1753, doctus Franciscus S. I., ab imperatrice ad academiam huius urbis inspiciendam delegatus,

servir avec une bibliotheque choisie pour les cavaliers.“ Interea temporis Magnoaldus Olomucii XIV Iunii e. a. e vivis ereptus est; quare Oliverius de sua supellectile literaria apud illum relicta vehementer sollicitus comitem Gianinium, qui eam sibi vindicaverat, tum literis quum verbis Olomucii rogavit, ut Magnoaldi manuscripta sibi, confratri et laborum socio, ceu hereditatis partem praecipue debitam reservaret. Comite autem aegre precibus eius deferente id saltem cavit, ut opus historiae literariae O. S. B., se hortante iam antehac Ratisbonam missum, e periculo penitus eriperet. Post dimissa comitum Wengerskiorum cura munus secretarii societatis incognitorum defuncto Magnoaldo vacans suscepit eaque tempestate praeter ephemerides literarias et epistolas ad varios ex senatus academici decreto conscripsit elogium historicum defuncti P. Magnoaldi. „Itinerarium seu methodus apodemica peregrinationis eruditae bene instituendae“ et alia synthemata, utpote affecta potius quam perfecta, hic tacentur. Quos inter labores ob malignam febrim aurae Olomucensis impatiens factus ad Raigradiense monasterium tertio secessit illudque ad restitutam usque sanitatem incoluit. Inde Ratisbonam iter adornavit, ut historiam literariam O. S. B., quae manuscripta ab Emmeramnensibus asservabatur, sibi vindicaret et sub dictae societatis literariae nomine evulgandam suaderet. Opere manuscripto accepto cum neque monasterii Emmeramnensis sodales neque societatem istam commovere potuisset, ut illud typis excudi curarent, Augustam Vindelicorum perrexit et a Martino Veith, urbis bibliopolâ, id rogavit et feliciter consecutus est. Sumptibus Veithii tomus primus a. 1754 in publicum prodiit eumque reliqui mature exceperunt.

Quo loco Legipontius postea moratus sit, certo affirmari nequit; id solum constat, eum propter auram valetudini noxiam Olomucium non rediisse. Fieri autem potuit, ut Augusta Vindelicorum relicta in suum monasterium Coloniense se recepisset, quin stabile domicilium illic inveniret; nam circa XX Iun. 1758 ex abbacia ad S. Maximinum prope Treviros emissa est haec rotula: „Anno reparatae salutis 1758 die XVI. Iunii pientissime in celeberrima abbacia ad Sanctum Maximinum prope Treviros omnibus Sacro-

---

censuram librorum hic plene neglectam, societatem vero ad infimas reductam cognovit. (Plura de hacce societate vide in d'Elvert: „Schriften der hist.-stat. Section in Brünn“ Tomul. V. 1853 pag. 16. sub titulo: „Die gelehrten Gesellschaften in Mähren und Oest.-Schlesien.“)

Sanctae Ecclesiae Sacramentis mature praemunitus in Domino obdormivit: Admodum Reverendus, perquam Religiosus ac Eruditissimus Dominus Dom. ac Pater Oliverius Legipont, s. s. theologiae licentiatu, Abbatiae ad S. Martinum Maiorem Coloniae O. S. B. Congr. Bursfeldensis Professor. Anno aetatis suae 60, Professionis Religiosae 38, Sacerdotii 35. Pro cuius Animae refrigerio dominorum Confratrum aliorumque Preces ac Sacrificia humanissime efflagitamus ad reciproca paratissimi. Requiescat in Sancta Pace.

Abbas et Capitulum  
S. Martini Maioris.<sup>1)</sup>

Legipontium usque ad extremum vitae tempus laboribus literariis occupatum fuisse et postrema quaedam manuscripta reliquisse, dubitari nequit, quamvis Franc. Martinus Pelzel in vita Legipontii asserat, se literis ad monachos s. Maximini datis de literariis illius reliquiis quaesivisse, responsorias autem non accepisse (Pelzel: Abbildungen zu böhmischen und mährischen Gelehrten, tom. IV. pg. 117).

Quae in exprimenda vitae Legipontii imagine enarravimus partim ex eius epistolis, Matthaei et Aemiliani, praepositorum Raigradiensium, aetate ad eos et eorum conventuales datis (arch. Raigr. fasc. C. d. 7.), partim ex variis adnotationibus P. Alexii Habrich, historiographi domus nostrae, hausimus. Expositionem nostram neque perfectam neque omnibus numeris absolutam esse persuasum habemus; intendimus autem gustu illo, ut doctiores ad vitam viri, historia rei literariae ordinis nostri confecta meritissimi, plenius et perfectius proponendam incitarentur. Ad quam rem qui se accingere velint, illorum, imprimis autem sodalium ordinis nostri Germanorum, meminerint, qui, quamquam summo studio cum Legipontio in laboribus literariis desudabant, monumentis vita operibusque dignis carent; quales sunt Anselmus Desing, Udalricus Weiss, Alexius Habrich, quorum ingenia, tentamina, libros perspecta habeant necesse est, ut magnum Oliverii opus rite existiment. His adiungimus *elenchum operum* a Legipontio exaratorum atque ex epistolis ab eo scriptis, vitae testibus locupletissimis, quasdam, quae de eius ingenio studiisque nec non de aetatis qua vixit indole dissertationem optimam nobis continere videntur.

(Conclusio sequitur.)

<sup>1)</sup> Orig. in archivo Raigr. C. d. 7.